



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris  
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,  
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,  
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter  
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad  
praxim accommodatas

**Archdekin, Richard**

**Antverpiæ, 1682**

P. 3. In Dubio quomodo agendum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40873**

audacter operari : sic enim clavus clavo pelli  
 cebet. 2. Nihil judicare mortale , nisi id cer-  
 tò sciat. 3. Cavere otium , & vagas cogita-  
 tiones quæ mentem scrupulis infestant. 4. Eli-  
 gere virum probum & prudentem cuius judicia  
 firmiter adhæreat , nec illud apud se in exa-  
 men inducat. 5. Advertere quod possit se con-  
 formare communi iudicio & consilio Theolo-  
 gorum , quod dum angit scrupulus nec suppet-  
 tit Consilium , possit se ad quam vult partem  
 liberè resolvere , nisi certò illi constet esse pec-  
 catum. Item , quod ex Confessionibus præte-  
 ritis nihil teneatur repetere , nisi certò sciat  
 esse mortale , & se illud ritè confessum non  
 esse : quod certò illi constare non potest quam-  
 diu dubitat. Ratio horum est , quia periculum  
 aliquod remotum peccati materialis , vel inte-  
 gritatis in confessione , non debet evitari cum  
 tam gravi incommodo hærendi in illa anxietate  
 perpetua , aliisque malis quibus homo mul-  
 tum scrupulosus involuitur : cum ab illis dif-  
 ficultates etiam minores aliquando excusent.

**P. III. In dubio quomodo agendum.**

**Q**ui operatur cum Conscientia practicè du-  
 bia , committit peccatum ejusdem speciei  
 cum eo de quo dubitat. Dicitur autem *practicè*  
*dubia* quando pergunt dubitare , non tantum de  
 bonitate objecti , sed etiam de honestate suæ  
 actionis hic & nunc exercendæ. Exempli gra-  
 tiâ , si quis dubitans an sibi licitum sit hic &  
 nunc in die festo studere , pergunt nihilominus  
 studio incumbere , incurrit idem peccatum quod  
 ex festi violatione contraheret.

Ratio est , quia talis exponit se periculo pec-  
 candi,



candi, cum non habeat determinatum iudicium quod operatio sua sit licita potius quam illicita. Teneatur proinde actionem suam suspendere donec re ulterius examinata dubium deponat, & licitam esse suam actionem ex prudenti ratione concludat. Quibus autem Regulis homo in dubio constitutus possit se resolvere ad dubium deponendum, & licite agendum, ex sequentibus principiis magis in particulari intellegitur.

P. I V. *Dubitanti favet Possessio.*

**I**N dubio melior est conditio possidentis. Hanc *Regulam* plurimi Theologi intelligunt non tantum de possessione alicujus rei, aut juris, sed etiam libertatis, id est. Quando post diligens examen dubium adhuc perseverat, licitum est homini quam velit partem amplecti modis infra explicandi. Quia per solum dubium non censetur de consueta possessione & usu suae libertatis deturbari. Quod si è contra possessio præcipiendi præsumatur stare pro lege, aut præcepto, non censetur homo possidere libertatem à legis obligatione solutam.

Ratio autem dicti axiomatis est, quod cuius licitum sit uti suam libertate quam à Deo accepit ad agendum & non agendum, quamdiu post diligens examen non constat illum eam potestate esse privatum: sicuti licite retinet alia sua bona quamdiu non probatur ea alteri esse devincta, hoc autem non satis probatur, quamdiu res intra dubium hæret.

Quod autem dicitur, *In dubio tutior via eligenda*, rectè notat cum alijs *Wiger. 1. 2. q. 19. ar. 3. n. 50.* Regulam illam sine limitatione acceptam